



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 15. Congregationes in hac controversia habitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. gratiam in Jansenii sensu, id est, gra-
 A.C. 1652. tiam victricem per superiorem ac rela-
 tivam delectationem tueri adlaborarent:
 ne vero privatum suum iudicium sequi
 viderentur, die undecima Julii Roma
 Cardinalis hosce Deputatos & post octi-
 duum Episcoporum Oratores adesse ius-
 sit, eisdem declarans, quod summus
 Pontifex pro discutiendis quinque pro-
 positionibus peculiarem instituisset Con-
 gregationem, in qua tam hi, quam illi
 suarum rationum momenta circa præ-
 sentem controversiam scriptotenus ex-
 hiberent, ut summus Pontifex illa di-
 scutere, suumque desuper iudicium fer-
 re posset: Haud cunctanter Cleri Gal-
 licani Oratores suas tradiderunt ratio-
 nes, Janseniani vero Deputati duo ex-
 hibebant scripta, in quorum primo
 cuncta, quæ circa hoc negotium a pri-
 ma Julii anno 1649. usque ad undeci-
 mam ejusdem Mensis, hujusque anni
 gesta fuissent, enarrantes petebant, ut
 quinque propositiones in sensum Augu-
 stinianum, & erroneum distingueren-
 tur, in altero autem scripto S. Augu-
 stini doctrinam universæ Ecclesiæ au-
 thoritate confirmari ostendebant.

§. XV.

*Congregationes in hac controversia
 habitæ.*

Inte

Interim Roma Cardinalis die decima Sæc. XVII.
 sexta Septembris mortalitatem exiit, A. C. 1652.
 cui Cardinalis Spada subrogatus, tan-
 quam institutæ Congregationis Deca-
 nus undecim Consultores ad suas ædes
 die vigesima quarta Septembris convo-
 cabat, eisque deliberandum propone-
 bat, utrum præfatæ propositiones, prout
 spectantur in semetipsis ac prout ipsæ
 per se sonant, vel prout in Jansenii li-
 bro jacent tam quoad verba, quam
 quoad verborum vim, & sententiam
 sint discutiendæ: cum autem Fran-
 ciæ Episcopi in suis literis hanc con-
 troversiam ex Janseniani libri doctrina
 exortam fuisse retulissent, hinc Cardi-
 nales deputati censuerunt, has quoque
 propositiones ex Jansenii libro juxta e-
 jusdem Jansenii sensum, ab illis vero,
 quibus hic liber ad manus non est, il-
 las prout juxta terminorum sensum so-
 nant, esse dijudicandas. Verum Epi-
 scoporum Deputati insuper instabant, ut
 singulæ hæ propositiones relative ad
 Jansenii librum, utpote unicum contro-
 versæ fontem, suis censuris perstringe-
 rentur. Annuuit horum votis Cardi-
 nalis Spada, & quidem propositio pri-
 ma in Sessionibus die prima, octava &
 trigesima Octobris, necnon die sexta
 & decima tertia Novembris discutieba-
 tur, circa secundam vero propositionem
 C 2 cele-

Sæc. XVII. celebratæ fuerunt tres Sessiones die de-
A. C. 1652. cima octava, vigesima, & vigesima
quinta Novembris: denique de propo-
sitione tertia jam die vigesima septima
agi cæptum, illiusque examen die se-
cunda, quarta, nona & undecima De-
cembris fuit continuatum. Tandem
vero quarta propositio die decima sexta,
decima octava & vigesima tertia ejus-
dem Mensis examini subjecta est. Inter-
rim Janseniani Oratores apud Pontifi-
cem & Cardinales Deputatos rursus in-
stabant, ut controversia mutuis scri-
pturis & publicis disputationibus di-
scuteretur: ad quæ summus Pontifex
per Cardinalem Spadam respondit, quod
ipsi in proxima Congregatione die vi-
gesimo septimo Januarii habenda com-
parere possent: Verum hi disputandi
copiam sibi denegari haud ignari, repo-
suere, quod rem aliter quam disputan-
do agere, prohibiti essent, atque ab
Episcopis in mandatis haberent, ut fu-
turæ definitioni, si ad præscriptas Ec-
clesiæ leges non conderetur, sed ab Albi-
zio aliisque a Jesuitarum nutu penden-
tibus Viris præcipiti iudicio fieret,
non obtemperarent: Enimvero præfa-
tus Cardinalis, proposito Congregatio-
num de auxiliis exemplo ejusmodi di-
sputationes ad decidendam controver-
siam nec utiles, nec convenientes esse
expo-

exposuerat, nihilominus hi suo petito Sæc. XVII.
 firmiter institerunt: E contrario autem A. C. 1652.
 Episcoporum Deputati oblatam collo-
 quii copiam gratanter acceptarunt: paulo-
 post tamen ceteri Franciæ Oratores Ro-
 mæ Divi Augustini opuscula typis edi-
 curarunt, ut ea Patris Francisci An-
 nati Jesuitæ libro opponerent.

§. XVI.

*Quorundam Scriptorum Catholico-
rum obitus.*

Ex pluribus Scriptoribus Religione Dupin. Bibl.
 Catholicis non nisi sequentes addu- des Auth.
 cere, operæ pretium existimavimus, du Siecl.
 atque inter illos primus occurrit Felix XVII.
 Cantelorius utriusque Signaturæ Refe-
 rendarius, qui narrationem concordiæ
 inter Alexandrum III. Papam, & Fri-
 dericum I. Imperatorem, necnon indi-
 cem legalium Authorum materias tra-
 ctantium, de præcedentia & societa-
 tibus Officiorum, de Præfecto Urbis,
 genealogiam familiæ Comitum Roma-
 norum, Elenchum Cardinalium, ge-
 nealogiam Mathildis Comitissæ, plura-
 que alia typis vulgavit, obiitque Romæ
 die vigesima octava [Septembris anno
 ætatis suæ sexagesimo tertio. II. Ro-
 landus Hælant Cisterciensis edidit Nor-
 mam Superiorum Regularium ad recte
 C 3 guber-